

Le texte proposé ici a, pour source, deux éditions : celle établie par Petro Scrivero et imprimée, à Leyde, en 1619, chez Jacob Marcus et celle, plus tardive, parue, dans la même ville, chez Samuel et Johannes Luchtmans.

## JOANNIS NICOLAI SECUNDI BASIA.

## BASIIUM I

B\_1 v.1 Cum Venus Ascanium super alta Cythera tulisset  
 2 sopitum teneris imposuit violis,  
 3 albarum nimbos circumfuditque rosarum,  
 4 et totum liquido sparsit odore locum.  
 5 Mox veteres animo revocavit Adonidis ignes,  
 6 notus et irrepsit ima per ossa calor.  
 7 O quoties voluit circumdare colla nepotis !  
 8 O quoties dixit : "Talis Adonis erat !"  
 9 Sed placidam pueri metuens turbare quietem  
 10 fixit vicinis basia mille rosis.  
 11 Ecce calent illae, cupidaeque per ora Diones  
 12 aura susurranti flamine lenta subit.  
 13 Quotque rosas tetigit tot basia nata repente  
 14 gaudia reddebant multiplicata Deae.  
 15 At Cytherea natans niveis per nubila cygnis,  
 16 ingentis terrae coepit obire globum.  
 17 Triptolemique modo fecundis oscula glebis  
 18 sparsit, et ignotos ter dedit ore sonos.  
 19 Inde seges felix nata est mortalibus aegris,  
 20 inde medela meis unica nata malis.  
 21 Salvete aeternum nostrae moderamina flammae,  
 22 humida de gelidis basia nata rosis.  
 23 En ego sum, vestri quo vate canentur honores,  
 24 nota Medusaei dum juga montis erunt,  
 25 et memor Aeneadam stirpisque disertus amatae,

26 mollia Romulidum verba loquetur Amor.

BASIUM II.

B\_2 v.1 Vicina quantum vitis lascivit in ulmo  
 2 et tortiles per ilicem  
 3 brachia proceram stringunt immensa corymbi,  
 4 tantum, Neaera, si queas  
 5 in mea nexilibus proserpere colla lacertis,  
 6 tali, Neaera, si queam  
 7 candida perpetuum nexu tua colla ligare,  
 8 jungens perenne basium ;  
 9 tunc me nec Cereris, nec amici cura Lyaei,  
 10 soporis aut amabilis,  
 11 vita, tuo de purpureo divelleret ore ;  
 12 sed mutuis in osculis  
 13 defectos, ratis una duos portaret amantes  
 14 ad pallidam Ditis domum.  
 15 Mox per odoratos campos et perpetuum ver  
 16 produceremur in loca,  
 17 semper ubi, antiquis in amoribus, Heroinae  
 18 Heroas inter nobiles  
 19 aut ducunt choreas, alternave carmina laetae  
 20 in valle cantant myrtea :  
 21 qua violisque rosisque, et flavicomis narcissis,  
 22 umbraculis trementibus,  
 23 illudit lauri nemus, et crepitante susurro  
 24 tepidi suave sibilant  
 25 aeternum Zephyri ; nec vomere saucia tellus  
 26 fecunda solvit ubera.  
 27 Turba beatorum nobis adsurgeret omnis,  
 28 inque herbidis sedilibus  
 29 inter Maeonidas prima nos sede locarent ;  
 30 nec ulla amatricum Jovis  
 31 praerepto cedens indignaretur honore,  
 32 nec nata Tyndaris Jove.

BASIUM III

B\_3 v.1 Da mihi suaviolum, dicebam, blanda puella,  
 2 libasti labris mox mea labra tuis.  
 3 Inde, velut presso qui territus angue resultat,  
 4 ora repente meo vellis ab ore procul.  
 5 Non hoc suaviolum dare, lux mea, sed dare tantum  
 6 est desiderium flebile suavioli.

BASIUM IV.

B\_4 v.1 Non dat basia, dat Neaera nectar,  
 2 dat rores animae suave olentes,  
 3 dat nardumque, thymumque, cinnamumque,  
 4 et mel, quale jugis legunt Hymetti,  
 5 aut in Cecropiis apes rosetis,

6 atque hinc virgineis et inde ceris  
 7 septum vimineo tegunt quasillo.  
 8 Quae si multa mihi voranda dentur,  
 9 immortalis in his repente fiam,  
 10 magnorumque epulis fruar Deorum.  
 11 Sed tu munere parce, parce tali,  
 12 aut mecum dea, fac, Neaera, fias.  
 13 Non mensas sine te volo deorum ;  
 14 non, si me rutilis praeesse regnis,  
 15 excluso Jove, di deaeque cogant.

## BASIUM V.

B\_5 v.1 Dum me mollibus hinc et hinc lacertis  
 2 adstrictum premis, imminensque toto  
 3 collo, pectore, lubricoque vultu,  
 4 dependes humeris, Neaera, nostris,  
 5 componensque meis labella labris,  
 6 et morsu petis, et gemis remorsa,  
 7 et linguam tremulam hinc et inde vibras,  
 8 et linguam querulam hinc et inde sugis,  
 9 adspirans animae suavis auram,  
 10 mollem, dulcisonam, humidam, meaeque  
 11 altricem miserae, Neaera, vitae :  
 12 hauriens animam meam caducam,  
 13 flagrantem, nimio vapore coctam.  
 14 Coctam pectoris impotentis aestu,  
 15 eludisque meas, Neaera, flammam  
 16 flabro pectoris haurientis aestum,  
 17 o jucunda mei caloris aura.  
 18 Tunc dico : Deus est Amor Deorum,  
 19 et nullus Deus est Amore major.  
 20 Si quisquam tamen est Amore major,  
 21 tu, tu sola mihi es, Neaera, major.

## BASIUM VI.

B\_6 v.1 De meliore nota bis basia mille paciscens,  
 2 basia mille dedi, basia mille tuli.  
 3 Explesti numerum, fateor, jucunda Neaera,  
 4 expleri numero sed nequit ullus amor.  
 5 Quis laudet Cererem numeratis surgere aristis ?  
 6 Gramen in irrigua quis numeravit humo ?  
 7 Quis tibi, Bacche, tulit pro centum vota racemis ?  
 8 Agricolamve Deum mille poposcit apes ?  
 9 Cum pius irrorat sitientes Jupiter agros,  
 10 deciduae guttas non numeramus aquae ;  
 11 sic quoque cum ventis concussus inhorruit aer,  
 12 sumpsit et irata Jupiter arma manu,  
 13 grandine confusa terras et caerula pulsat,  
 14 securus sternat quot sata, quotve locis.  
 15 Seu bona, seu mala sint, veniunt uberrima caelo :  
 16 majestas domui convenit illa Jovis.  
 17 Tu quoque, cum Dea sis, Diva formosior illa,

18           concha per aequoreum quam vaga ducit iter,  
 19   basia cur numero caelestia dona coerces,  
 20           nec numeras gemitus, dura puella, meos ?  
 21   Nec lacrimas numeras, quae per faciemque sinumque  
 22           duxerunt rivos semper euntis aquae ?  
 23   Si numeras lacrimas, numeres licet oscula, sed si  
 24           non numeras lacrimas, oscula ne numeres ;  
 25   et mihi da, miseri solacia vana doloris,  
 26           innumera innumeris basia pro lacrimis.

BASIUM VII.

B\_7       v.1   Centum basia centies,  
           2   centum basia millies,  
           3   mille basia millies,  
           4   et tot millia millies,  
           5   quot guttae Siculo mari,  
           6   quot sunt sidera caelo,  
           7   istis purpureis genis,  
           8   istis turgidulis labris,  
           9   ocellisque loquaculis,  
 10   ferrem continuo impetu,  
 11   o formosa Neaera !  
 12   Sed dum totus inhaereo  
 13   conchatim roseis genis,  
 14   conchatim rutilis labris,  
 15   ocellisque loquaculis,  
 16   non datur tua cernere  
 17   labra, non roseas genas,  
 18   ocellosque loquaculos,  
 19   molles nec mihi risus,  
 20   qui velut nigra discutit  
 21   caelo nubila Cynthius,  
 22   pacatumque per aethera  
 23   gemmatis in equis micat,  
 24   flavo lucidus orbe ;  
 25   sic nutu eminus aureo  
 26   et meis lacrimas genis,  
 27   et curas animo meo,  
 28   et suspiria pellunt.  
 29   Heu, quae sunt oculis meis  
 30   nata proelia cum labris !  
 31   Ergo ego mihi vel Jovem  
 32   rivalem potero pati ?  
 33   Rivales oculi mei  
 34   non ferunt mea labra.

BASIUM VIII.

B\_8       v.1   Quis te furor, Neaera,  
           2   inepta, quis jubebat  
           3   sic involare nostram,  
           4   sic vellicare linguam  
           5   ferociente morsu ?

6 An, quas tot unus abs te  
 7 pectus per omne gesto  
 8 penetrabiles sagittas,  
 9 parum videntur ; istis  
 10 ni dentibus protervis  
 11 exerceas nefandum  
 12 membrum nefas in illud,  
 13 quo saepe sole primo,  
 14 quo saepe sole sero,  
 15 quo per diesque longos,  
 16 noctesque amarulentas  
 17 laudes tuas canebam ?  
 18 Haec est, iniqua, (nescis ? )  
 19 Haec illa lingua nostra est,  
 20 quae tortiles capillos,  
 21 quae paetulos ocellos,  
 22 quae lacteas papillas,  
 23 quae colla mollicella  
 24 venustulae Neaerae,  
 25 molli per astra versu,  
 26 ultra Jovis calores,  
 27 caelo invidente, vexit :  
 28 quae te meam salutem,  
 29 quae te meamque vitam,  
 30 animae meaeque florem,  
 31 et te meos amores,  
 32 et te meos lepores,  
 33 et te meam Dionen,  
 34 et te meam columbam  
 35 albamque turturillam,  
 36 Venere invidente, dixit.  
 37 An vero, an est id ipsum,  
 38 quod te juvat, superba,  
 39 inferre vulnus illi,  
 40 quam laesione nulla,  
 41 formosa, posse nosti  
 42 ira tumere tanta,  
 43 quin semper hos ocellos,  
 44 quin semper haec labella,  
 45 et, qui sibi salaces  
 46 malum dedere dentes,  
 47 inter suos cruores  
 48 balbutiens recautet ?  
 49 O vis superba formae !

BASIUM IX.

B\_9 v.1 Non semper udum da mihi basium,  
 2 nec juncta blandis sibila risibus,  
 3 nec semper in meum recumbe  
 4 implicitum moribunda collum.  
 5 Mensura rebus est sua dulcibus ;  
 6 ut quodque mentes suavius afficit,  
 7 fastidium sic triste secum  
 8 limite proximioire ducit.

9 Cum te rogabo ter tria basia.  
 10 Tu deme septem, nec nisi da duo,  
 11 utrumque nec longum, nec udum,  
 12 qualia teligero Diana  
 13 dat casta fratri, qualia dat patri  
 14 experta nullos nata Cupidines ;  
 15 mox e meis lasciva ocellis  
 16 curre procul natitante planta.  
 17 Et te remotis in penetrabilibus,  
 18 et te latebris abdito in intimis,  
 19 sequar latebras usque in imas,  
 20 in penetrabile sequar repostum ;  
 21 praedamque victor fervidus in meam  
 22 utrimque heriles injiciens manus,  
 23 raptabo, ut imbellem columbam  
 24 unguibus accipiter recurvis.  
 25 Tu deprecantes victa dabis manus,  
 26 haerensque totis pendula brachiis,  
 27 placare me septem jocosus  
 28 basiolis cupies inepta.  
 29 Errabis : illud crimen ut eluam,  
 30 septena jungam basia septies,  
 31 atque hoc catenatis lacertis  
 32 impediam, fugitiva, collum.  
 33 Dum, persolutis omnibus osculis,  
 34 jurabis omnes per Veneres tuas  
 35 te saepius poenas easdem  
 36 crimine velle pari subire.

BASIUM X.

B\_10 v.1 Non sunt certa meam moveant quae basia mentem,  
 2 uda labris udis conseris, uda juvant.  
 3 Nec sua basiolis non est quoque gratia siccis,  
 4 fluxit ab his tepidus saepe sub ossa vapor.  
 5 Dulce quoque est oculis nutantibus oscula ferre,  
 6 auctoresque sui demeruisse mali ;  
 7 sive genis totis, totique incumbere collo,  
 8 seu niveis humeris, seu sinui niveo ;  
 9 et totas livore genas, collumque notare,  
 10 candidulosque humeros, candidulumque sinum ;  
 11 seu labris querulis titubantem sugere linguam,  
 12 et miscere duas juncta per ora animas ;  
 13 inque peregrinum diffundere corpus utramque,  
 14 languet in extremo cum moribundus amor.  
 15 Me breve, me longum capiet, laxumque, tevoxque,  
 16 seu mihi das, seu do, lux, tibi basiolum.  
 17 Qualia sed sumes, numquam mihi talia redde :  
 18 diversis varium ludat uterque modis.  
 19 At quem deficient varianda figura priorem,  
 20 legem submissis audiat hanc oculis,  
 21 ut, quot utrimque prius data sint, tot basia solus  
 22 dulcia victori det, totidemque modis.

## BASIUM XI

B\_11 v.1 Basia lauta nimis quidam me jungere dicunt,  
 2 qualia rugosi non didicere patres.  
 3 Ergo, ego cum cupidis stringo tua colla lacertis,  
 4 lux mea, basiolis immoriorque tuis,  
 5 anxius exquiram quid de me quisque loquatur ;  
 6 ipse quis, aut ubi sim, vix meminisse vacat.  
 7 Audiit et risit formosa Neaera, meumque  
 8 hinc collum nivea cinxit et inde manu ;  
 9 basiolumque dedit, quo non lascivius umquam  
 10 inseruit Marti Cypria blanda suo ;  
 11 "Et, quid, ait, metuis turbae decreta severae ?"  
 12 Causa meo tantum competit ista foro.

## BASIUM XII.

B\_12 v.1 Quid vultus removetis hinc pudicos,  
 2 matronaeque, puellulaeque castae ?  
 3 Non hic furta Deum jocosa canto,  
 4 monstrosasve libidinum figuras ;  
 5 nulla hic carmina mentulata, nulla  
 6 quae non discipulos ad integellos  
 7 hirsutus legat in schola magister.  
 8 Inermes cano basiationes,  
 9 castus Aonii chori sacerdos.  
 10 Sed vultus adhibent modo huc protervos  
 11 matronaeque, puellulaeque cunctae,  
 12 ignari quia forte mentulatum  
 13 verbum diximus, evolante voce.  
 14 Ite hinc, ite procul, molesta turba,  
 15 matronaeque, puellulaeque turpes.  
 16 Quanto castior est Neaera nostra,  
 17 quae certe sine mentula libellum  
 18 mavult, quam sine mentula poetam.

## BASIUM XIII.

B\_13 v.1 Languidus e dulci certamine, vita, jacebam  
 2 exanimis, fusa per tua colla manu.  
 3 Omnis in arenti consumptus spiritus ore,  
 4 flamine non poterat cor recreare novo.  
 5 Jam Styx ante oculos, et regna carentia sole,  
 6 luridaque annosi cymba Charontis erat,  
 7 cum tu suaviolum educens pulmonis ab imo  
 8 afflasti siccis irriguum labiis ;  
 9 suaviolum, Stygia quod me de valle reduxit,  
 10 et jussit vacua currere nave senem.  
 11 Erravi : vacua non remigat ille carina,  
 12 flebilis ad manes jam natat umbra mea.  
 13 Pars animae, mea vita, tuae hoc in corpore vivit,  
 14 et dilapsuros sustinet articulos :  
 15 quae tamen impatiens in pristina jura reverti  
 16 saepe per arcanas nititur aegra vias.

17 Ac, nisi dilecta per te foveatur ab aura,  
 18 jam collabentes deseret articulos.  
 19 Ergo age, labra meis innecte tenacia labris,  
 20 assidueque duos spiritus unus alat ;  
 21 donec, inexpleti post taedia sera furoris,  
 22 unica de gemino corpore vita fluet.

## BASIUM XIV.

B\_14 v.1 Quid profers mihi flammeum labellum ?  
 2 Non te, non volo basiare, dura,  
 3 duro marmore durior, Neaera.  
 4 Tanti istas ego ut osculationes  
 5 imbelles faciam, superba, vestras,  
 6 ut, nervo toties rigens supino,  
 7 pertundam tunicas meas, tuasque,  
 8 et, desiderio furens inani,  
 9 tabescam miser, aestuante vena ?  
 10 Quo fugis ? Remane, nec hos ocellos,  
 11 nec nega mihi flammeum labellum :  
 12 te jam, te volo basiare, mollis,  
 13 molli mollior anseris medulla.

## BASIUM XV.

B\_15 v.1 Adducto puer Idalius post tempora nervo  
 2 stabat in exitium, pulchra Neaera, tuum,  
 3 cum frontem, sparsosque videns in fronte capillos,  
 4 luminaque argutis irrequieta notis,  
 5 flammeolasque genas, et dignas matre papillas,  
 6 jecit ab ambigua tela remissa manu,  
 7 inque tuas cursu effusus pueriliter ulnas,  
 8 mille tibi fixit basia, mille modis,  
 9 quae succos tibi myrteolos, Cypriosque liquores  
 10 pectoris afflarunt usque sub ima tui ;  
 11 juravitque deos omnes, Veneremque parentem,  
 12 nil tibi post umquam velle movere mali.  
 13 Et miremur adhuc cur tam tua basia fragrent ;  
 14 duraque cur miti semper amore vaces ?

## BASIUM XVI.

B\_16 v.1 Latonae niveo sidere blandior,  
 2 et stella Veneris pulchrior aurea,  
 3 da mi basia centum,  
 4 da tot basia, quot dedit  
 5 vati multivolo Lesbia, quot tulit ;  
 6 quot blandae veneres, quotque cupidines  
 7 et labella pererrant,  
 8 et genas roseas tuas ;  
 9 quot vitas oculis, quotque neces geris,  
 10 quot spes, quotque metus, quotque perennibus  
 11 mista gaudia curis,

12 et suspiria amantium ;  
 13 da, quam multa meo spicula pectori  
 14 iniecit volucris dira manus dei,  
 15 et quam multa pharetra  
 16 conservavit in aurea.  
 17 Adde et blanditias, verbaque publica.  
 18 Et cum suavicrepis murmura sibilis,  
 19 risu non sine grato,  
 20 gratis non sine morsibus.  
 21 Quales Chaoniae garrula motibus  
 22 alternant tremulis rostra columbulae,  
 23 cum se dura remittit  
 24 primis bruma Favoniis.  
 25 Incumbensque meis mentis inops genis  
 26 huc illuc oculos volve natatiles,  
 27 exsanguemque lacertis  
 28 dic te sustineam meis.  
 29 Stringam nexilibus tete ego brachiis,  
 30 frigentem calido pectore comprimam,  
 31 et vitam tibi longi  
 32 reddam afflamine basii.  
 33 Donec succiduum me quoque spiritus  
 34 istis roscidulis linquet in osculis,  
 35 labentemque lacertis,  
 36 dicam, collige me tuis.  
 37 Stringes nexilibus me, mea, brachiis,  
 38 mulcebis tepido pectore frigidum,  
 39 et vitam mihi longi af-  
 40 -flabis rore suavii.  
 41 Sic aevi, mea lux, tempora floridi  
 42 carpamus simul : en jam miserabiles  
 43 curas aegra senectus  
 44 et morbos trahet, et necem.

BASIUM XVII.

B\_17 v.1 Qualem purpureo diffundit mane colorem,  
 2 quae rosa nocturnis roribus immaduit,  
 3 matutina rubent dominae sic oscula nostrae,  
 4 basiolis longa nocte rigata meis,  
 5 quae circum facies niveo candore coronat,  
 6 virginis ut violam cum tenet alba manus :  
 7 tale novum seris cerasum sub floribus ardet,  
 8 aestatemque et ver cum simul arbor habet.  
 9 Me miserum ! quare, cum fragrantissima jungis  
 10 oscula, de thalamo cogor abire tuo ?  
 11 O saltem labris serva hunc, formosa, ruborem,  
 12 dum tibi me referet noctis opaca quies !  
 13 Si tamen interea cujusquam basia carpent,  
 14 illa meis fiant pallidiora genis.

BASIUM XVIII.

B\_18 v.1 Cum labra nostrae cerneret puellae,

2 inclusa circo candidae figurae,  
 3 ut si quis ornet, arte curiosa,  
 4 corallinis eburna signa baccis,  
 5 flevisse fertur Cypris, et gemendo  
 6 lascivientes convocasse Amores,  
 7 et, quid juvat, dixisse, purpuratis  
 8 vicisse in Ida Palladem labellis,  
 9 et pronubam magni Jovis sororem,  
 10 sub arbitro pastore ? Cum Neaera  
 11 haec antecellat arbitro poeta ?  
 12 At vos furentes ite in hunc poetam,  
 13 et dira plenis tela de pharetris  
 14 in illius medullulas tenellas,  
 15 pectusque per, jecurque per jocosum,  
 16 dstringite acres perstrepente cornu.  
 17 At illa nullo pertepescat igne,  
 18 sed tecta pectus plumbea sagitta,  
 19 torpescat imas congelata venas.  
 20 Evenit : imis uror in medullis,  
 21 et torrido jecur liquescit igne ;  
 22 tu fulsa pectus asperis pruinis  
 23 et caute, quales aut maris Sicani,  
 24 aut Hadriae unda tundit aestuosa,  
 25 secura ludis impotentem amantem.  
 26 Ingrata ! Propter ista labra rubra  
 27 laudata plector. Heu, misella, nescis,  
 28 cur oderis, nec ira quid deorum  
 29 effrena possit, aut furor Diones.  
 30 Duros remitte, mollicella, fastus ;  
 31 istoque dignos ore sume mores ;  
 32 et, quae meorum causa sunt dolorum,  
 33 mellita labris necte labra nostris ;  
 34 haurire possis ut mei pusillum  
 35 praecordiis ex intimis veneni,  
 36 et mutuis languere victa flammis.  
 37 At nec deos, nec tu time Dionen.  
 38 Formosa divis imperat puella.

## BASIUM XIX.

B\_19 v.1 Mellilegae volucres, quid adhuc thyma cana, rosasque.  
 2 Et succum vernaee nectareum violae  
 3 lingitis, aut florem late spirantis anethi ?  
 4 Omnes ad dominae labra venite meae.  
 5 Illa rosas spirant omnes, thymaque omnia sola,  
 6 et succum vernaee nectareum violae.  
 7 Inde procul dulces aerae funduntur anethi,  
 8 narcissi veris illa madent lacrimis,  
 9 Oebaliique madent juvenis fragrante cruore,  
 10 qualis uterque liquor, cum cecidisset, erat,  
 11 nectareque aethereo medicatus, et aere puro,  
 12 impleret fetu versicolore solum.  
 13 Sed me, jure meo libantem mellea labra,  
 14 ingratae socium ne prohibete favis.  
 15 Non etiam totas avidae distendite cellas,

16 arescant dominae ne semel ora meae,  
 17 basiaque impressans siccis sitientia labris,  
 18 garrulus indicii triste feram pretium.  
 19 Heu, non et stimulis compingite molle labellum,  
 20 ex oculis stimulos vibrat et illa pares.  
 21 Credite, non ullum patietur vulnus inultum :  
 22 leniter innocuae mella legatis apes.

---

( L'édition de 1619 donne cet épithalame sous le titre de 'BASIIUM XX'.  
 Les frères Luchtmans en font une pièce des SYLVES.)

EPITHALAMIUM.

v.1 Rora suavicula et voluptuosa,  
 2 hora blanditiis, lepore, risu,  
 3 hora deliciis, jocis, susurris,  
 4 hora suaviolis, parique magnis  
 5 cum diis et Jove transigenda sorte,  
 6 hora, qua poterat beatiorum  
 7 nec Cnidi dea sancta polliceri,  
 8 nec qui cum pharetra pererrat orbem,  
 9 curis gaudia delicata miscens,  
 10 penna splendidus aurea Cupido ;  
 11 magni pronuba nec soror Tonantis ;  
 12 nec qui floridulas Hymen puellas  
 13 raptas e gremio tenace matrum  
 14 involvit cupidis viri lacertis,  
 15 rupis incola floriger canorae ;  
 16 advecta est serie rotante caeli.  
 17 O felix juvenis, puella felix !  
 18 Felix sponse, cui cupita flamma  
 19 tam nunc in geminis quiescet ulnis,  
 20 puella aetheria beata forma,  
 21 qualem magna Venus, velitque Juno,  
 22 et quae casside Martia refulget  
 23 sancto vertice procreata Pallas,  
 24 si junctae statuunt adire valles  
 25 umbrosas iterum virentis Idae,  
 26 qua spectanda vel haec, vel haec, vel illa,  
 27 quovis iudicio superba malum  
 28 victrix aureolum reportet astris.  
 29 O felix juvenis, puella felix !  
 30 Felix sponsa, cui cupitus ardor  
 31 affusus modo lectulo in beato,  
 32 stringet colla tenacibus lacertis,  
 33 insigni juvenis venustus ore ;  
 34 istis qui roseis tuis labellis,

35 istis qui niveis tuis papillis,  
36 isto qui rutilante crine tactus,  
37 isto lumine qui loquace victus,  
38 jam pridem tacito voratur igni,  
39 lentumque increpat usque et usque solem,  
40 tardamque invocat usque et usque lunam.  
41 O felix juvenis, puella felix !  
42 Votis, fervide sponse, parce votis,  
43 et suspiria mitte, mitte questus,  
44 tempus accelerat suave ; mitis  
45 exaudit gemitus Venus suorum.  
46 Condit Cynthius ora, condit ora,  
47 seque gurgite perluens Ibero  
48 cedit noctivagae locum sorori ;  
49 et quo gratior haud relucet ignis  
50 conjunctis animis amore dulci,  
51 producit caput, emicatque caelo  
52 ductor Hesperus aureae catervae.  
53 O felix juvenis, puella felix !  
54 Jam virgo thalamum subibit, unde  
55 ne virgo redeat, marite, cura.  
56 Jam virgo niveis locata fulcris  
57 adventum cupiet tuum, tremetque,  
58 perfusa ingenuo pudore malas.  
59 Forsan et lacrimis genae madebunt,  
60 et suspiria fundet et querelas :  
61 at tu nil remoratus, et querelas,  
62 et suspiria lacrimasque tolles,  
63 abstergens oculos tuo ore, dulce  
64 murmur pro querimoniis reponens.  
65 O felix juvenis, puella felix !  
66 Ergo membra ubi virginis decorae  
67 felix candida lectulus fovebit,  
68 membra languidulo parata somno,  
69 et molli quoque te toro locatum  
70 supra purpureos beata reges,  
71 supra constituet Jovem Dione ;  
72 mox te blandidicis parare rixis,  
73 mox te molliculae parare pugnae  
74 motus occipies calore justo,  
75 belli prospera signa non cruenti  
76 figens mille protervus hic et illic  
77 collo basia multa, multa malis,  
78 labris basia plura, plura ocellis.  
79 Repugnabit, et improbum vocabit,  
80 et dicet, satis est, tremente voce,  
81 arcebitque manu proterva labra,  
82 propelletque manu manum protervam.  
83 O noctem ter et amplius beatam !  
84 Pugnet strenua, pugnet illa ; pasci  
85 pugnando teneri volunt amores.  
86 Pugnando tibi duplicatus ardor  
87 vires sufficiet novas in arma.  
88 Tunc per candida colla, tunc per illud  
89 quod certat ebori nitore pectus,  
90 nunc per crura tenella, perque ventrem,

91 et quae proxima sunt et huic et illis  
 92 saltu volve agili manum salacem ;  
 93 et tot millia junge basiorum,  
 94 quot caelum rutilos tenebit ignes.  
 95 O noctem quater et quater beatam !  
 96 Nec desint tibi blandulaeque voces,  
 97 et quaecumque juvant perita verba,  
 98 nec cum murmure sibili suaves,  
 99 quales dant Zephyro sonante blandum  
 100 frondes ; quale colymba, quale cygnus  
 101 annosus moriente spirat ore :  
 102 donec victa potentibus sagittis,  
 103 et caeco pueri volantis igne,  
 104 paulatim minus et minus severa,  
 105 ponet purpureum toro pudorem,  
 106 collum in brachia nexuosa dedens,  
 107 collo brachia nexuosa stringens.  
 108 O noctem quater, o quater beatam !  
 109 Tunc tunc oscula delicata sumes,  
 110 nullis contemerata quae rapinis  
 111 haerebunt vario morata nexu.  
 112 Tunc lusus similes, paresque virgo  
 113 reddet delicias, et os hiulcum  
 114 jam pridem patulo licenter ori  
 115 committens, animae libidinoso  
 116 fragrantis cupidum beabit haustu ;  
 117 mox lusu quoque molliore ludens,  
 118 dicet blanditias suaviores,  
 119 emittet digitos licentiores,  
 120 finget nequitiam salaciorem.  
 121 O noctem nimis et nimis beatam !  
 122 Tunc arma expedienda, tunc ad arma  
 123 et Venus vocat, et vocat Cupido ;  
 124 tunc in vulnera grata proruendum.  
 125 Huc illuc agilis feratur hasta,  
 126 quam crebro furibunda verset ictu  
 127 non Martis soror, ast amica Martis  
 128 semper laeta novo cruore Cypris.  
 129 Nec quies lateri laborioso  
 130 detur, mobilibus nec ulla coxis,  
 131 donec deficiente voce anhela,  
 132 donec deficientibus medullis,  
 133 membris languidulis, madens uterque  
 134 sudabit varii liquoris undas.  
 135 O noctem nimis, o nimis beatam !  
 136 Sudate ut libet, et diesque longas,  
 137 noctesque exigite impotente lusu.  
 138 Et brevi date liberosque dulces,  
 139 et longo ordine blandulos nepotes,  
 140 quae vobis senii minuta turba  
 141 olim sollicitos levabit annos,  
 142 arcebit querulos toro dolores,  
 143 languentum tremulos fovebit artus,  
 144 componet tumulo pios parentes.  
 145 O felix juvenis, puella felix !

\*\*\*\*\*